

apud Lucam τελεθήσειαν πάντα (c. XIIIX, 31: confer XXIV, 44.). Et ecce! Τετέλεσαι (Job. XIX, 30.) πάντα ὃν ἡρξατο ὁ Ιησοῦς ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν (Actor. I, i.). Consummata jam sunt omnia vaticinia, omnes typi, consummata est tyrannis hostium, mensura passionum, divinum decre-  
tum, temporale ministerium, redemtionisq; nostre mysterium. O abso-  
lutissimum Arithmeticum! abeat Moyses, qui numerabat populum  
in deserto Arabico, facessat Joabus, qui numerum iniit ex regio  
mandato. Illi numerabant ad cladem & bellum, Christus ad victo-  
riam & triumphum.

Septima est ars omnium beatissima, quia coelum spectat & a-  
stra, lucem & splendorem, corpora sphærica & exinde perfectissi-  
ma. Ita Salvator noster Crucifixus septimo suō apophthegmate,  
aureo illo & cœlestissimo, coelum spectat, non physicum, sed ma-  
jesticum, Pater, inquit, *in manus Tuas commendo Spiritum meum*.  
Ubi estis linguae eloquentium, ut dignè describamus hoc gaudium,  
quod nec oculus vidit (sed videbit) nec auris audivit (sed audiet)  
nec in ullius hominis cor atq; mentem descendit (sed descendet).  
Ideoq; heic lingua & charta deficit.

Ceterum πρωτόρρυτον ὅντων seu πρωτογέννημα ex hisce septem A-  
pophtegmatibus divinis,

*Pater dimitte illis, non sciunt, quid faciant,*  
filo Græco pertexuit, illudq; memoriter coram Vobis, Honoratis-  
simi Domini Auditores, recitabit DANIEL CHRISTOPHORUS  
Römer Wittenbergensis Saxo, cuius industriæ exstimulandæ, si-  
mulq; honori Plur. Reverendi Dn. Parentis Ecclesiastæ nostri fide-  
lissimi aliquam temporis usuram concedetis: addet quoq; versio-  
nem Latinam hexametron Psalmi XXCIVti JOANNES ABRA-  
HAM Borisch Senftenbergensis Misnicus, cuius tirocinium  
perinde ad majora magnorum virorum favore  
fuerit evehendum.